





1711, 8
37
11
CUM DEO
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE

JURE SEMITARUM

QVAM
DIVINO FAVENTE NUMINE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

GUIELMO HENRICO

DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM
ANGARIÆ, WESTPHALIÆQUE ET RELIQUA,

Ex Decreto & Auctoritate Illustris Facultatis Juridicæ

IN ALMA SALANA

PRESIDE

DN. IOHANNE BERNHARDO *Griesen*

HÆREDITARIO in Pöfen/

Jcto Famigeratissimo, Serenissimi Ducis Saxo-Isenacensis Confiliario
Aulico, ac Consistoriali, Antecessore, nec non Collegii Juridici
& Scabinatus Assessore Gravissimo,

Domino Patrono suo atatem devenerando,

*Pro summis in utroque jure honoribus ac privilegiis Doctoralibus
riæ consequendis*

Publicæ Eruditorum disquisitioni subiiciet

JOHANNES CHRISTOPHORVS HEINIGKIVS

Altenburg, Misnicus,

Illustris Regiminis Saxo-Altenburgici Advocatus

ad D. XVII. Junii 1711.

IN AUDITORIO JCTORVM

horis ante- & pomeridianis.

JENÆ, Literis WERTHERIANIS.

CUM DEO
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE
JURE SEMITARUM

DEAN
DIVINO FAVENTE NUMINE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINO

GUILLIELMO HENRICO
DUCE SAXONIAE, JULIACI, CLIVIAE AC MONTIIUM
ANGARIAE, WESTPHALIAE ET RHEVIAE
Imperialis & Augustissimae Illustri Palatinae Juridicae
IN ALMA SALANA

PRASIDE
DN. IOHANNIS BERNHARDO

HEREDITARIO in Pöfeln
Icto Familiensitzung, Serenissimi Ducis saxo-lituanensis Consiliario
Aulico, ac Confessorii, Intercellere, nec non Collegii Juridici
& scabini Aulicorum Gravissimo
Domino Patrono suo ceteris honorandissimo

Pro summo in utroque Jure doctorum ac privilegii Doctoribus
vix respicienda
Publicae Eruditionum dispensationi subiectis

IOHANNES CHRISTOPHORUS HEINIGKIVS
Alteburg. Militicus
Illustri Reginae saxo-Alteburgicae Advocatus

in d. XVII. Jun. 1711.
IN AEDIBUS PETROPI
hodie a. & pomerianis.

LEIPZIG, JENAE, WERTZBURGI.



DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
JURE SEMITARUM.

I.



A B initio omnia fuisse communia & *origo ser-
vitutum.* indivisa omnibus, veluti unum
cunctis patrimonium esset, Justi-
nus, historicus non ætatis suæ, sed
omnis ævi optimus dicit, *Hist. L. 43.
c. 1.* Etsi vero Jure Gentium ab
hac communione discessum sit, ut,
docente *L. 5. ff. de J. & J.* gentes
discretas, regna condita, dominia distincta, agris termi-
nos positos, ædificia collocata esse videas: nihilominus
tamen in communi varia relicta sunt, quæ scilicet ad
usum publicum & communem Gentium, regnorum, do-
miniorum & agrorum fuerunt necessaria. Huc inter alia
pertinent itinera, quibus nec Gentes, nec populus, nec
quisquam alius carere potuit. Equidem hoc etiam mo-
do de fundo ad fundum, & de ædificio ad aliud, de ædi-
bus ad fundos, & vice versa transitus est permittendus:
quia verò nec gentes, nec certum populum, nec com-
muni-

munitatem res tangit, nihil obstat, quo minus tota res in plenum dominium adeo, ut nec gleba remaneret communis, addiceretur alteri, quippe quæ communio, præsertim inter privatos & paucos esset supervacanea. Sed tamen cum alis in fundos involare hominibus non sit datum, subsit talis conditio, ut dominus particulam dominii alteri eatenus cederet, ut vicinus ire, ambulare, agere, vehiculum ducere in suum fundum posset.

II.

Inter quarum species semita referri potest.

Et hac quidem ratione fundus fundo servit, & hinc in jure Civili occurrunt inter alia servitus viæ, actus & itineris, fit etiam mentio semitæ in *L. 157. §. 1. ff. de V. S.* de qua ejusque Jure speciminis inauguralis loco quasdam theses proponere induxi animum.

III.

Vocabulum Juris unde?

Juris vocabulum quoad originem, significationem, varias acceptiones ac similia, in vulgus notum & plerumque in Digestis & Institutionibus sub Tit. de Justitia & Jure excussum. Pace tamen eruditorum ex *Scipionis Gentilis orig. ad Pand. Libro Sing.* moneo, Grammaticos jus à juvando deducere. Qui Stoicorum ineptias, ut de se Cicero scripsit in libris de Gloria, nec hoc quidem in contemptum illorum, vel sui, imitari vellet, is posset à Græco verbo *iov* originem querere, quippe quod est vagum quiddam, nec fixum certo loco aut tempore. Veteres certe Jous dicebant, quod posteri lingua sonantiore Jus dicunt. Mutari enim Jus solet, ut scribit Firmianus: Justitia, immutabilis est atque æterna. Scipio mavult derivare ab illa tragica & miserabili

ferabili ejulatione *is*, ex qua ipsum verbum ejulare natum est, & jubilare, quod antiquis significat lamentatione voceque rustica inclamare; contra, quiritare urbana, testibus Festo & Varrone. Cum enim Prisci illi mortales sine lege, sine imperio in agris & silvis pecorum ritu vagarentur, saepe contingebat, infirmiores a potentioribus opprimi, & eam vocem cogi mittere, quam natura ad miserationem excitandam homini dedit. Hinc ex accidente Juris vocabulum natum est, quod inopes & imbecilli nihil aliud quam Jus & aequalitatem cupiant atque expostulent, eandem potentiores oderint & aspernentur. Quod si ad Autores Classicos ultra institutum recurramus, Ovidius, Poëtarum elegantissimus alibi, nescio quo, cecinit:

Inde datae Leges, ne fortior omnia posset.

Horatius autem scite *Libr. I. Sat. 3.* dixit:

Jura inventa metu injusti fateare necesse est.

Ex qua exclamandi consuetudine & necessitate in Jure nostro adhuc remanet, Jus inclamare, Jus implorare, & similia ut in antiquis Legibus: ENDOQVE PLORATO hoc est, in clamato cum gemitu, voce plorato, ut est in titulo de SCTo Silaniano. Nec aliter videtur ipse Terullianus, Vir antiquitatis omnis, Jurisque ita atque Theologiae peritissimus sensisse; cujus sunt illa verba in Valentianos: *ut etiam in clamaverit in eum is is, quasi porro Quirites est fidem Caesaris.* Nam haec oppressi vi & injuria homines inclamare olim solebant, Juris & libertatis retinendae causa adversus potentiores, quibus pares esse non possumus, ut inquit Cajus. Alii Jus docte derivari à Jove posse putant, quem antiqui recto casu Jovis dicebant, omnis Juris Autore & quasi patre. Hinc

veteres illi Romani, quod nos jusjurandum, ipsi Jovis jurandum dixisse videntur. Id Apulejus testatur, apud Ennium reperiri illo versu, ut Docti putant:

O fides alma, apta pennis jurandum Jovis.

In L. 1. ff. de Just. & Jur. Jus à Justitia appellatur, quæ notatio præpostera videri potuisset, nisi à philosophia petita esset, & ratione naturæ. Est enim natura ita conditum, ut scientia rebus, quarum scientia est, posterior esse videatur. vid. Schönel. disp. ad ff. 1. th. 1. conf. l. pen. &

Semita ultima ff. de just. & jur. Semita vero à quibusdam dicitur quasi Semis via, M. Servius. in 4. Æneidos comment. Etymologia, Hom. Gædd. ad L. 157. de V. S. n. 9. vel ab aliis quasi Sem-iter, & synony- quod minus sit quam iter, & quidam quasi callis, Alciat. mia. ad L. 157. d. V. S. n. 7. & forte dimidium itineris. Sic Cice- ro L. 1. de d. ait; qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam. De significatione non conveniunt. Negorium faceffit d. l. 157. d. V. S. ubi dicitur: Via est, sive Semita sive iter est. Hinc de corpore, non de jure sive servitute quæri, putat Alber. Gentilis ad d. l. Neque enim est Semita in servitutibus, sed iter, & iter aliud est à via in eo argumento. Ergo rectius referri ait Gentilis hæc ad interdicta de itineribus publicis, de via publica, de itinere privato. Accedit, quod parietum tractatio juncta sit tractationi de via. l. un. ff. d. via publ. Inde & Alciatus ad d. l. 157. statuit, quod, si de servitute lex accipiat, utique via, actus & iter sint distincta: Sin de servitute non accipiat, aliter via intelligatur, & contineat non solum iter, sed etiam semitam. Porro ait, iter à semita hoc distare, quod iter latius sit, semita angustior. Videtur enim iter proprie alias de via publica dici, quæ populo deberet, quod ex Julio Frontino libro de co-

loniis

Ionis Italicis intelligi potest. Quo sensu *Semitam*, tra-
 mitem privatum interpretabimur; Græci *ἀσπιδον* dicunt:
 unde *paræmia*, cujus Eustathius *Odyf. V.* meminit: *ὄδῳ*
τραποῦσαν τὴν ἀσπιδὸν ἔχουσαν, cum *præsto via sit, tu requi-*
ris Semitam. Plautus in *Curcul.* *semitam* accipere vi-
 detur pro ea viæ parte, per quam incedunt homines,
 in cujus medio aguntur currus & jumenta: quapro-
 pter parasitus minatur se facturum, ut obvii capite
 sistant in viam de *semita.* Sed *Gœddeus ad d. l.*
157. n. 1. statuit, quod probabiliter tam ad servitu-
 tes cum urbanas, tum rusticas, quam ad interdicta de
 viis publicis pertineat. Hinc in *n. 7.* viam distinguit
 in publicam & privatam. Publica via regia, quam Præ-
 tores & consules proficiscuntur & in provinciis tuen-
 tur, vulgò *die Herren-Strasse*: item *des heiligen Reichs-*
Strasse, oder gemeine Land-Strasse, quæ & via pratoria
 seu consularis dicta, qua vulgò ordinarium iter perfici-
 tur. *l. 2. §. viarum ff. ne quid in loc. publ. cap. un. que*
sunt regal. Privata regia opposita aut inter publica ha-
 betur, aut privatorum juri cedit, ut sit in patrimonio.
 Inter publica habetur vicinalis via & agraria. Vicinalis
 est via, qua in vicos itur vel quæ in vicos ducit; Agra-
 ria via est, per quam exitur de consulari via ad agros
l. 2. §. viarum, ne quid in loc. publ. l. fin. de loc. it.
publ. Privata viæ, quæ in bonis sunt, eæ tandem erunt,
 quæ cessantibus agrariis nos ducunt per fundum alterius
 ad nostrum fundum. Quod cum Jure servitutis fiat,
 consequens est, ejusmodi viam speciem servitutis esse.
 Non enim per istas vias cuique licet ire vel agere, sed
 tantum illi, cui servitus constituta est, *d. l. 2. §. viarum.*
 Hinc fit, ut interdictum, ne quid in loco publ. cesset.

Competat vero vindicatio servitutis, quoties ire, agere prohibemur. Quando igitur via pro servitute accipitur, non est iter: Si vero pro via publica, vel ea, quæ inter publica habetur, tunc via & iter idem sunt. *Gæddeus ad l. 157. ff. de V. S. n. 7. seqq.* Quamvis via tum magis referatur ad illud iter, per quod non tantum pedites, sed etiam plaustra, vehicula, armenta ire possunt; iter vero, quo pedites proficiscuntur. Unde semita & iter appellatione viæ continentur. Ejusmodi vero vias quidem plurimi habent, ut quædam secreta per eas porrent atque reportent. Ideo semita sæpius pro devia vel callida via accipitur, unde Catullus dixit: *omnes pusilli & semitarii* (hoc est qui semitas vias quærunt) *mæchi*. Hisce accurate prolatis subjicit Gæddeus, Glossam male sentire, quando semitam esse viam ex cæmento constructam statuit; iter vero, quod sine cæmentis, quoniam nec ipsi vocabulis, neque aliis Auctoribus respondet. Sed oportet Gæddæum non inspexisse Glossam, quia hæc ad *d. l. 157. lit. 9.* semitam dicit lapidibus factam sine cæmentis. Ceterum eadem Glossa ibi recte videtur notasse, quod hic iter dicatur via, licet minus proprie. Nam *in l. certo. 13. §. 1. de serv. præd. rust.* agitur primo de casu, ubi totus ager itineri aut actui servit, ita, ut omnes glebæ serviant: deinde de itinere & actu sine ulla determinatione legato, & additur, quod arbiter sit dandus, qui utroque casu viam determinare debet. *In l. Tiram angustli. 13. ff. de Servitut.* via est concessa & tamen propter angustii loci demonstrationem magis est iter. Accedit *l. 1. §. 11. ff. de itinere actiue privato*, ubi dicitur: quotiens enim colonus meus VIA utitur, ego IRE intelligor, propter quod & recte dico me itinere usum. Hæc itaque paulo diffu-

diffusius adducere volui, ut ostendam l. 157. d. v. s. etiam de Jure sive servitute, & non solum de corpore, quod Gentilis volebat, capiendum, mentemque huc redire, sicubi in legibus vox viæ occurrat, non solum viam itineri actuque oppositam intelligendam, sed pro substrata materia etiam iter, semitam, actum, ut antea relatæ leges expresse docent. Unde porro concludo, nec semitam itineri oppositam esse speciem, quamvis non renuam in latitudinis determinatione poni posse differentiam.

IV.

In hac opinione confirmor a Gylmanno in *Symbor. Tom. II. part. I. vol. I. n. 27. & 28.* ubi agit de semita, oder Fuß-Pfad & deinde subjicit, quid principaliter ad servitutem constituendam requiratur, scilicet ut quis iverit jure servitutis. Hinc pro Synonymis habentur *Steige, Fußsteige, Wege.* Ita enim legitur in *der Altenburgischen Landes-Ordnung. P. 2. c. 3. Tit. 9. §. ult.* Hingegen soll auch niemand, bey gleichfalls ernstlicher Straffe mit Reiten, Fabren oder Geben, neue Wege über Aecker, Gärten und Wiesen machen. Unde simul veritas superiori loco traditæ assertionis, quod via non præcise servitutem itineri oppositam significet, adhuc magis elucescit. Dico præcise. Nam quandoque secus est. Sic Glossa ad Jus Saxonicum l. 2. art. 27. distinguit *Steig, Weg und Straß*, ita: *ein Steig ist darauff man reiten oder geben mag, ein Weg, da man mit einem Wagen fabren mag, eine Straß aber, da man Vieh treiben und ein Wagen dem andern weichen kan.*

*Semita
Synonymia
ulterius ostenditur.*

B

V. Co-

*Semita de-
scribitur.*

Cognito itaque, quo in sensu mihi accipiatur semita, quæ aliàs ejus possit esse notio & quæ Synonyma habeat, nunc pergenti illius descriptionem licebit hunc in modum tradere: Semita est servitus realis eundi ambulandi hominis per vicinum prædium, non etiam jumentum agendi vel vehiculum *l. c. ff. d. serv. præd. rust. pr. 7. d. serv.* Nostro idiomate vocatur *eine Gerechtheit zu geben durch ein Feld oder Acker. Oldendorp. Class. 3. art. 4. ein Fußsteig, darüber man pflegt zu gehen oder zu reiten. Secund. Gloss. Jur. Saxon. art. 27. Lib. 2.* Theophilus rem ipsam, rationem & utilitatem itineris declarat hoc exemplo: Habebam ego, fingit, fundum in propinquo. Cum in meum fundum ire vellem, opus mihi erat magno circuitu. Rogavi te proinde, ut mihi per fundum tuum (quoties opus esset) ire liceret; quod iter compendio ducebat in fundum meum. Tu mihi iter concessisti, ut transire possem, sed neque cum jumento, neque cum vehiculo. Ex ipsa concessione mihi quaesitum est jus in fundo tuo, quod vocatur servitus prædialis rustica.

*Ille cur-
servitus?*

Dixi in definitione, quod sit servitus. Etenim quætuam quaeso lateat, decedere aliquid de tua libertate, mihi que contra accedere, neque ullum citra servitutis constitutionem, invito te posse constanter ire per agrum tuum *l. per agrum 12. C. de servit.* Nec est, quod putet *l. 2. § recte ff. si servit. vind.* immane quantum obstare, siquidem expresse ibidem legi; iter non esse servitu-

vitutem, ac proinde tanto magis falsum videri, quanto
 audentius pronuntiarem: iter esse servitutem, & qui-
 dem realem. Dudum namque respondit Hub. Giphian,
in antin. Jur. Civ. Disput. 10. n. 10. negari quidem eo in
 loco, iter esse servitutem, id tamen non simpliciter ne-
 gari, sed ideo, quia ibi ususfructus, hoc est: Jus utendi
 fruendi constituitur. In illo jure utendi fruendi simul
 erat datum iter, nec constitutum erat quasi servitus, sed
 quasi accessorium & quasi pars ususfructus. Nam pars
 in toto est *l. in tot. ff. d. R. J.* Respectu igitur ususfru-
 ctus negatur hic, iter servitutem esse, & sic relativè. At
 vero si absolute accipias, per se iter esse servitutem to-
 ties in *Tit. de serv. rust. præd.* dici invenies. Et hanc
 solutionem non obscure suppeditat ipse textus in *d. l. 2.*
§. recte, qui statuit, iter, quod fruendi gratia fructuario
 præstatur, non esse servitutem: neque enim potest soli
 fructuario servitus deberi. Vocavi realem sive prædia-
 lem servitutem, quia finis discriminat servitutes. Licet
 ergo iter homini concedatur, & homo eat, atque am-
 bulet: quia tamen id respectu & occasione fundi fit,
 rectè hæc servitus inter prædiales connumeratur per tra-
 dita *Myusing. ad §. inter rusticorum n. 3. Inst. de servit.*
 Nec obstat, quod *l. pen. ff. de serv. leg.* Jus transeundi
 dicitur. Iter enim non esse servitutem realem exinde
 concludentibus responderetur, regulariter & juxta pro-
 priam suam naturam reales servitutes rusticæ & urbanæ
 à re rei debentur & præstantur, & quod ἐπι τὸ πλεῖστον
 fit, maxime attenditur, *l. 3. seqq. ff. d. Legib. Wesenb. in*
§. I. de servit. Interdum tamen respectu personæ principa-
 liter constituuntur ex quadam contemplatione, quodam
 intuitu & affectione, ut in *d. l. pen.* ubi pater ex favore

& amore quodam filix jus transeundi constituit. Quod etiam in servitutibus pascendi, & ad aquam appellendi certum est, quæ etsi magis prædii, quam personæ *l. pecoris 4. ff. de servis. præd. rust.* tamen si testator certam personam demonstrat, cui servitutem realem vult præstitam, emptori vel heredi eadem servitus non præstabitur *d. l. pecoris.* Et ita propter certæ personæ demonstrationem & ultimam voluntatem (quæ omnibus modis servanda est *l. 1. C. d. SS. Eccl.*) prædiales illæ servitutes factæ sunt personales, & propterea personam non egrediuntur; tamen si alias generaliter servitutes reales, cum prædiorum sint, non hominis, ad heredem transeant. *Harppecht. ad Pr. J. de servit. n. 46. 47. Olemannus l. 2. disp. Jur. Civ. Giphban. Disp. 10. in not. n. 10. seqq.*

VII.

Quid ire
ambulare?

Per jus eundi ambulandi intelligo jus ultro citroque commeandi ad res vicino prædio necessarias. Oportet enim ut servitus sit utilis prædio dominantis, *L. 8. § 51. ff. de Servit.* Objiciunt quidem *legem pen. ff. de servit.* ubi rectè constituitur servitus aquæ ducendæ, licet prædio utilis non sit. Ut casum in rei documentum fingamus, Titius cesserat Mævio servitutem aquæ ducendæ, ut Mævio per fundum Titii aquam ducere liceret. Eo tempore, quo Titius cedebat servitutem, Mævio erat inutilis, nec expediebat ei, ut aquam duceret: nihilo tamen minus, ut Labeo ait, constitui poterat servitus, propterea, quod interesset, habere servitutem non tantum ratione utilitatis, ut ager irrigetur, sed etiam amœnitatis causa *l. 3. in pr. ff. de acq. quotid.* tum quia fieri posset, ut olim expediat Mævio, per fundum

fundum Titii aquam ducere. Igitur servitus utiliter constituitur non ratione presentis, sed futuræ utilitatis. *Hottom: 8. Obs. 11. Merill. 1. different. 5. Bronch. 1. antin. 98. quos sequitur Wissenbach disp. Jur. Civ. II. §. 9.* Nihil enim vetat, utile etiam id dici, quod quandoque commodo esse potest, *arg. l. & ideo 5. ff. si servit. vind.* Eodem nempe modo responsum est, ædificio quoque futuro servitutum vel acquiri vel imponi posse, *l. si servit. 23. & fin. ff. d. S. U. P.* Potest namque servitus esse per se utilis, quæ tamen per accidens pro statu rei presentis sit inutilis. *Brunnem. ad l. pen. n. 2. ff. de servit. ubi & illos rejicit, qui imaginariam utilitatem sufficere putant.* Nam sic nulla esset inutilis servitus, quia nemo, nisi sub utilitatis opinione servitutum stipulabitur. Quod verò de utilitate dicitur, item de amœnitate sentiendum est. Scilicet ejus quoque gratia servitus recte imponi potest, quæ tamen ipsum prædium afficiat, & quodammodo melius faciat, *arg. l. hoc Jure pr. ff. de acqu. quotid. & est.* Namque & amœnitate interdum utilitatis nomine venire ex eo constat, quod statux quoque ususfructus relinqui potest, *l. statua 41. ff. de usufr.* Quod si prædium per hoc melius non fiat, rectius contrarium dicimus. *Busius ad d. l. pen.*

VIII.

Ceterum differentiam statuunt inter ire & ambulare. *Itio fit v. a. vi.* Nam ire dicitur non tantum, qui pedibus iter conficit; sed etiam, qui equo, sella vel lectica vehitur, *l. 7. l. 12. ff. d. S. P. R.* imo & qui navi ad fundum vehitur. *l. 1. §. hæc interdicta 7. d. acqu. quot. & est.* Nimirum quo casu ad fundum nisi aquâ perveniri non potest,

test, navis quasi pro equo est, & navis quasi equus ligneus, ut belle Althusius tradit *l. 1. Dicaolog. c. 22. n. 33. seqq.* Vocabulum autem ambulandi non tantum perspicuitatis aut evidentiae gratia adjunctum est, ut putat Tim. Fab. *D. 15. hb. 3. lit. C.* sed aliquid amplius exprimit, quam ire, ita ut commeare ulro citroque, cum libet, is, cui iter competit, possit, non quidem voluptatis gratia, cujusmodi Jus ad rerum servitutes non pertinet. *l. 8. ff. de servit.* sed quatenus necessitas & usus praedii exigit, *Hotom. ad Pr. f. de servit. & Hillig. ad Don. II. Com. 6. Lit. B.* nisi quis forte & valetudinis aut voluptatis gratia ambulandi jus ad iter saltem per consequentiam referre maluerit cum Ant. Matth. *ad Pr. f. de servit.* Ratio autem, cur ire extendatur, ut quis equo, sella, lectica vehi possit, haec esse videtur, quia licet convenire possint inter se, ut tantum pedibus incedere liceat; si tamen nihil speciatim convenit, omnibus praefatis modis ire licet: cum, quia sibi imputare debet dominus fundi, quod legem contractui non apertius dixerit; tum vero, quia praesumitur sibi alter meliori modo providisse. Nec etiam quisquis a vero deerraret, causam ejus rei addens illam, quod qui alteri concedit iter, in effectu concedit ipsi bipedale spatium, per quod incedere possit, adeo, ut is sive pedes sive eques incedat, sive sella sive lectica portetur, non majus spatium infumat. Illud tamen cum grano, ut loqui solent, salis accipiendum est. Etenim infra patebit, id ipsum omnino in semita fallere posse, praesertim si signo quodam v. g. cruce muniatur, ne aliter quis, quam pedes ire possit.

IX.

Vox ambulandi ex mente Wesenb. ad Pr. f. de aliorum
servit. n. 3. itionem & reditionem significat, cui nemo ^{opiniones}
 repugnaturus sit, quippe is, qui eundi, profectò & re. ^{de voce,}
 deundi licentiam habeat, ne sit necesse perpetuo in fun- ^{Ambulare.}
 do harere. Alii verbum ambulandi de eo interpretan-
 tur, quod sit sanitatis & voluptatis causa. *Wesenb. in pa-*
rat. n. 1. ff. d. serv. rnt. pred. Etsi enim servitus prædi-
 alis imponi non potest, ut spatiari liceat, *l. ut. pomum*
& ff. de servit. reduplicatis vestigiis animi & voluptatis
 causa (esset enim potius personalis quam realis, eaque
 innominata: *Hahn. ad Wesenb. tit. d. servit. n. 3.*) nihilo
 tamen minus, qui jus eundi habet principaliter, is jus
 ambulandi habet in consequentiam. *Harprecht. ad Inst.*
d. serv. n. 31. Cui nimirum ire licet, quidni concessum
 ei videatur ambulare, id est, spatiis factis sæpius in sua
 vestigia regredi? *Cujac. l. 22. Observat. et 35. Ant. Mat-*
thaus hic in suis notis. Wegner. disp. 5. th. 3. l. a. Et sic
 Cujacius putat, quod iter proprie non sit jus ambulandi,
 quia servitus sit è re prædii oportet; ambulare autem
 hominis voluptatem respicit,

Dico, quod homo eat, ambulet, ad distinctionem ^{Differen-}
 actus & via. Nam bene *Wesenb. ad Pr. f. de servit. n. 31.* ^{tia ab actu}
 dicit, iter esse hominum, actum jumentorum, via ve-
 hicularum. Eunt nempe homines, aguntur pecudes,
 vehunt vel vehuntur vehicula. Potest tamen, qui iter
 habet, & equum claudicantem manu ducere. *Matth.*
disp. 5. de servit. §. 2.

XI. Fun-

XI.

Semita est in alieno Fundi alieni in definitione mentionem feci, quia res propria nemini servit. Equidem hæ voces non inveniuntur in definitione itineris, *Pr. J. de servit.* quia tamen in fine *dict. pr.* extant, hinc merito adjecimus. Clausula enim in fine posita, etiam ad præcedentia refertur capitula, *arg. l. 30. §. f. d. leg. I. arg. l. 1. in fin. C. d. lib. præter. Harprecht. ad Pr. Inst. de servit. n. 73. Offerman. eodem f. Coras. ad rubr. de servit. n. 121. v. movi egr. Waizenegg. dist. 4. c. 5. n. 10.* Fundi autem cur simul meminerim, perspici potest facillime. Servitus namque realis sine fundo sive prædio constitui nequit. *l. 1. §. 1. ff. commun. præd. §. ideo 3. J. d. serv.*

XII.

In quibus semita, non constitatur, exponitur.

Neque est, quod quis miretur, semitam meam ex sententia non esse jus jumentum agendi vel vehiculum. Scilicet hæc ipsa servitus concessa itineris tantum conficiendi, & eorum ergo adhibetur, vel concessa videtur, quibus iter conficitur *arg. l. si iter 10. ff. de servit.* At qui jumentum agit, cum ipse jumento, quod agitur, vel ducitur, eundi gratia non insideat, contra servitutem constitutam aperte agit. Quare cum plus Juris usurpet, quam ipsi permissum est, prohiberi optima ratione potest. *Harprecht ad Pr. J. de servit. n. 36. Aliiter sentit Donellus l. II. comment. d. Jur. Civil. C. 6. p. 533. ad finem.* Sed spatium ad semitam concessum hoc modo aliquis excederet, siquidem jumenta agere dicitur, qui equum, mulum & similia animalia soluta ante se agit, & propellit, ita, ut ad latus excurrere possint, & non

non ita se intra terminos contineant, quam si freno ab infessore regantur, adeoque majus spatium infumerent & callerent. Idem est, si quis equum, manu ad dextram vel lævam ducere vellet. Nam & tunc spatium ampliaret & dilaret *l. qui sella 7. ubi Gotthofred. ff. de serv. rust. præd. Manz. ad Pr. Inst. d. servit. n. 15.* Secus, si retro se traheret: *ein anders ist, das Roß beym Zaume nach sich ziehen, ein anders neben ihm dabey fübren, & huc collimavi supra.*

XIII.

Verbum, *jumentum*, Hotomannus rejicit, & ejus in locum armentum reponit, quasi qui jumento ire potest, non sit prohibendus jumentum separatim, & eo tempore, quo jumento non it, ducere sive agere. Equidem differt jumentum ab armento, non ut contrarium, sed ut diversum. Illud quidam derivant à juvando, quod homines juvet excolendo agrum, sarcinas gerendo, onera subvectando, currus trahendo, & similibus ut Columellæ *l. 6. de re rust.* Ambros. Calepino *in suo Lexico* aliique visum est. Alii rectius volunt jumentum à jungendo dici. Sic enim Gellius *L. 20. noct. Att. C. 1.* dicit: *jumentum quoque non id solum significat, quod nunc dicitur, sed vocabulum etiam, quod adjunctis pecoribus trabebatur. Veteres enim nostri jumentum à jungendo dixerunt.* Exinde Græci jumenta, *ἄροσγία* vocant, ut refert Borcholt, *ad J. Tit. de serv.* quem Hahnus *ad Wesenb.* Jctum eminentissimum nuncupat. Atque hinc jumenta vocant, quæ dorso domantur, eoque laborem expediunt, ut equus, equa, mulus, mula, & alia animalia. Armenta autem, quæ dorso non domantur, sed collo & cervice, ac armis, hoc

C

hoc

hoc est, humeris potissimum laborem & onus sibi injunctum peragunt, ut sunt boves, qui exinde *L. 89. ff. de V. S. boves magis armentorum, quam jumentorum generis appellantur.* Sic *L. 38. §. 4. ff. de Edil. Edict.* dicitur, difficile esse, ut jumentorum appellatione omne pecus contineatur. Certe aliud significatur pecoris appellatione. Quare *§. 6. d. l. 38.* statim subjicitur, quod dubitari desierit, an ædilitio Edicto, quod *de Jumentis* conceptum est, boves quoque contineantur, siquidem ut jumentorum appellatione non contineri eos, verius est, ita pecoris continebuntur. Huc respexit *Marcianus in l. 65. §. 5. ff. de Leg. 3.* quando decidit: jumentis legatis, boves non continentur; nec contra. Alii differentiam inter jumentum & armentum hanc tradunt, quod armentum sit collectio sive boum sive equorum sive aliorum majorum animalium, sed jumenta sint ipsa animalia, *Isid. Libr. 12.* Sed hanc nostram hoc loco non facimus. Licet autem ex dictis eluceat differentia inter jumentum & armentum: attamen Hottomanni correctione non est opus. Nec enim stultum aut absurdum est, eum, qui jumento ire potest, prohiberi, jumentum separatim, & eo tempore quo jumento non it, ducere sive agere, *Harprecht ad J. d. servit. n. 35.*

XIV.

Semita non semper est servitus.

Hactenus semitam ut servitutem, & cum itineris servitute in plerisque convenientem exhibui, nunc illam, ut nullam aliquando servitutem exhibebo. Quippe quando ususfructus mihi legatus est, & non possum, nisi per fundum hereditarium pervenire ad fundum, cujus ususfructum habeo, hic mihi debet iter constitui per

per consequentiam, non ut servitus, sed ut requisitum usufructus. Sed si fundo, cujus usufructum habeo, jam antea acquisita sit servitus, tunc illa servitus sequitur fundum, & ita etiam usufructuarium, l. 2. §. 2. ff. *de servit. vindic. ibique Brunnem.* Sic in l. 11. §. 1. ff. *comm. prad. rust.* dicitur: si prope tuum fundum jus est mihi aquam rivo ducere, tacita hæc jura sequuntur, ut rescere mihi rivum liceat, ut *adire*, qua proximè possim ad rescendum eum ego, fabriq̄ue mei &c. Similem casum refert Perillustr. Dn. Bar. de Lyncker *decif. 632.* Es wurde Briccius als Kläger, des beklagten Einwendens ungebindert, bey der Gerechtigkeit, den Märgel, so viel er dessen benöthiget, aus der Kühle zuholen, geschützt, und zu dessen Behuff, des Weges über des beklagten Land &c. Porro & precario conceditur iter, ut si quis sepulchrum habeat, & à vicino prohibeatur, iter ad sepulchrum ire peti precario & concedi solet. l. 12. pr. ff. *de religios.* Quin & jure familiaritatis sæpius alterum ire patimur, quo casu alter quasi non possidet, adeoque nec præscribit, *Carpz. p. 2. Const. 4. def. 13. 14.* & nullum jus servitutis inde nascitur. l. *qui jure familiaritatis 41. ff. de acqu. poss.* cùm actus jure familiaritatis gesti nullum jus tribuant. *Post. de manuten. Obs. 53. n. 2. Klock, vol. 1. cons. 21. n. 29.* Cavendum tamen ne tandem ex actu familiari jus prætendatur; alias si metus subsit, literis reversalibus urendum, *vid. dissert. B. Stryckii de jure famil. cap. 4. n. 4.* Inde si quis affirmat, vicinum suum ivisse per fundum, sed negat jure servitutis ivisse, solet injungi probatio servitutis. Tandem & jure publico ire licet per semitas in urbibus, vicis, fundis, non jure servitutis, sed ita constitutas, ut terra in communione censeatur

relicta, Quæ ideo addere libuit, ut mens mea circa sequentia, ubi ad semitas modo jure servitutis, modo jure publico debitas respicimus, & hoc quidem propter materiæ cognationem, eo magis pateat.

XV.

Diviso

Transit mens nostra ad divisionem semitarum, quæ, quatenus jure servitutis censentur, vel urbanæ, vel rusticæ sunt. Licet enim semitam cum itinere compararem, & iter ad rusticas servitutes referatur: *Pr. Inst. de servit.* quia tamen, quod ibi de itinere habetur, secundum id capiendum, quod ut plurimum fit, nec obstat, quo minus etiam iter sit aliquando urbana servitus, sicuti & Brunnem. *ad l. 7. S. 1. n. 4. ff. commun. præd.* notandum putat, iter in urbibus ad urbanas servitutes referri. Hinc merito jam dicta assertio subsistere potest, præsertim quod cognitum sit, servitutes à prædio dominanti denominandas esse. Sicuti verò dominans prædium vel urbanum est, vel rusticum; ita & servitus, & quidem eadem, modo rustica, modo urbana esse potest. Quando porro semita per pacta vel consuetudinem, modo ad hunc, modo ad alium usum destinata vel restricta est, tunc etiam inde denominari & ita dispesci potest. Sic dari potest *der Pfaffen-Steig, der Pfarr-Weg, der Schuster-Weg, der Mühl-Weg, das Kraut-Gäßgen,* & ita porro. Nam & in *Electis Jurispubl. Tom. 2. pag. 241.* legere est: *Ingleichen ist die possession des Predig-Hauses bey S. Ulrich cum pertinentiis, wie die Auspurgische Confessions-Vervvandte solche anno 1624. gehabt, dem instrumento pacis gemäß würrcklich apprehendiret, die Schlüssel von dem Herrn Prelaten daselbst abgefodert, und dener*

denen Auspurgischen Confessions-Verwandten eingeliefert worden &c. und dieweil auch ex parte des Herrn Prelaten Anregung geschehen, daß ihnen gleich hiebevorder Durchgang in die Capelle durch das Predig-Haus vorbehalten seyn solle, haben sich die Auspurgischen Confessions-Verwandten daher erkläret, daß es in alle Wege, wie es anno 1624. gewesen, verbleiben, und die processio zu Weibung der Tauffe unverwehret seyn soll &c.

XVI.

Sicuti autem servitutes in genere vel à lege vel ab homine constituuntur; ita & semita. Lege quin imponi possint, nullum est dubium *per l. ult. §. ult. C. de servit. vel lex*. Etiam per statuta multarum civitatum variæ servitutes impositæ inveniuntur. Sic Glossa ad L. i. C. de adif. priv. huc refert statutum, quo quis non possit ædificare, nisi usque ad certam altitudinem, non ultra, invito vicino. Quando autem *ex l. ult. §. ult. C. de servit.* servitutes ipsa lege impositas statuo, obstant mihi veteres interpretes Azo, Hugolinus aliique, qui textum intelligunt de eo casu, quo servitus est constituta & acquisita. Et quamvis sequaces eam interpretationem non admittant, quia tunc non fuisset opus nova constitutione: tamen illam defendit Odofredus *in d. §. ult.* Rectius autem hæc interpretatio repudiatur & statuitur, quod ibi ipso Jure servitus imponatur, atque hinc textum de speciali casu, quo utilitate publica suadente areæ trituran-dis, macerandis & siccandis frumentis comparatæ ventus vel sol adimi vetatur, capiunt Cothmann. *Vol. 2. Resp. 93. n. 22. & 87. Brunnem. ad d. l. n. 25.* Atque propterea de extensione legis sunt solliciti, an etiam ad *ades*

ades magnas, & urbana prædia trahi possit? Quod, cum ad meum scopum non pertinet, videri potest apud citatos Autores. Hoc solum ex Brunnem. c. 1. addo, quid juris sit, si ad agrum meum non possim habere iter vel viam, nisi per tuum agrum, an tu mihi vendere compelleris viam per tuum agrum? Idque affirmandum esse putat Brunnem. per rationem hujus constitutionis, cum idem sit favor agriculturæ; quod etiam affirmat Padilla in pr. ff. d. t. in fin. ubi tamen limitat, nisi vicinus præbiturus viam insigniter lædatur, quod se non capere ait Brunnemannus, si idoneum pretium accipiat. Id tamen concedit, hoc ad prædia urbana non facile extendendum, cum favore agriculturæ hoc placuerit. Forte & huc pertinet, quod favore religionis ad sepulchrum per alium agrum ire liceat. L. 21. pr. ff. de relig.

XVII.

vel homo
isque vel
Judex

Ab homine si constituitur, tunc hoc fit vel auctoritate publica, per sententiam in judiciis divisiis l. 22. §. 3. ff. famil. ercisc. arg. l. 18. ff. com. divid. vel privata, scil. domini voluntate l. 6. pr. ff. de servit. Publica auctoritate fit servitus etiam, si iudex officio judicis semitam decernit, ubi aliter ad rem suam alicui non patet transitus. Labet ex decisione Lynckeriana 1343. dicta præjudicio confirmare, in quo dicitur: *Vor dem von Heyde vvrde erkannt: daß ihm seine auff seinen Grund und Boden vormabls gehabte, und ietzt eingegangene Mühle vvider anzubauen, nicht verwehret sey; der von Rotenburg aber ibme über seinen Grund und Boden, zu denen Holtz- und Mühl-Fuhren, den Durchgang &c. denn 1) &c. 3) Könnte auch der Judex denjenigen, der zu den*

den ſeinigen anders nicht kommen kan ex officio gegen ein billigmaßiges Endgeld eine ſolche ſervitus ab initio conſtituiren. Ex quibus patet, reſponſum pari ratione, licet de via conceptum ſit, ad ſemitam quoque ac iter pertinere. Hic graviter obſtat l. 8. §. 4. ff. ſi ſervit. vind. in verbis: & ſiquidem is obtinuerit, qui ſervitutum ſibi defendit, non debet ei ſervitus cedi: ſive recte pronunciatum eſt, quia habet: ſive perperam, quia per ſententiam non debet ſervitus conſtitui, ſed, quæ eſt, declarari. Aſt reſponderi poteſt, quod ſermo ſit de actione conſeſſoria, ubi actor ex ſervitute ſibi jam conſtituta agit, adeoque petit non ſervitutum, ſed ejus declarationem, conſequenter, cum ſententia libello debeat eſſe conformis, per eam non ſervitus debet conſtitui, ſed conſtituta declarari. Videtur adeo textus optimus eſſe pro Hahnio contra Bornium in ſamofa illa quæſtione de numero jurium in re, ubi Bornius inter alia abſurdum eſſe putabat, idem ſimul eſſe cauſam & objectum actionis, ſcilicet, abſurdum eſſe v. g. agere ex ſervitute & tamen petere ſervitutum. Nam rectiſſimè in textu allato dicitur, quod ſententia non det ſervitutum, ſed eam, quæ eſt, declarat.

XVIII.

Si privata auctoritate conſtituitur, requiritur, ut conſtituens ſit dominus rei, in qua vult conſtituere l. 8. ff. com. præd. §. 3. f. de ſervit. Quid ergo ſi non eſt verus dominus, ſed quaſi dominus, ſicut eſt bonæ fidei emtor? quid, ſi habeat utile dominium, ut emphyteuta, Vaſallus ſuperficiarius? vel, ſiquis tantum directum
*vel privata-
tus, qui
rurſus vel
conſtituit
vel acqui-
rit ſemi-
domi-
tam*

dominium habeat? item, an hæres, qui etiam dicitur dominus, rei alicui sub conditione legata servitutum imponere potest? an dominus fundi, in quo alius habet usufructum vel aliam realem servitutum, vel an maritus potest? His aliisque cum immorari nolim, vide de illis Capoll. *de servit. præd. urb. cap. 14.* Porro requiritur, ut constituens sit solus dominus rei servientis. Rei enim communi neque socius servitutum imponere potest, nec pro sua parte *l. 2. ff. d. servit. l. unus 34. d. S. P. R. l. 6. §. 1. comm. præd.* Nec enim posset, quin simul oneretur aliena. Equitatis tamen ratione valet, si ex postfacto sociorum accedat rati habitio, *l. ult. ff. comm. præd. Grön. ad. d. l. Bachov. V. I. Disp. 17. Tb. 6. l. 6. Frantz. in Comment. d. l. n. 15. seqq. Hillig. & Donell. l. 11. Cap. 9. lit. G. & H.* In acquirente itidem requiritur, ut sit dominus, siquidem nec debetur, aut acquiritur, nisi prædicio *l. 1. l. 6. pr. l. 8. Com. præd. l. 34. d. S. P. R.* quia nemo alteri aliquid acquirere potest. Unde si quis sibi & vicino servitutum stipuletur, adjectio vicini pro supervacua habetur, & servitus stipulanti acquiritur *l. 5. ff. comm. præd.* Adeo hæc regula, quod nemo, nisi dominus acquirat servitutum, vera est, etiam si quis aliud jus in re habeat. Sic usufructuarius, fundo usufructuario servitutum acquirere nequit; retinere tamen potest *l. 25. §. fin. ff. de usufr.* Dictæ autem regulæ obstare videtur *l. 14. §. 1. ff. de servit.* ubi itineris servitus sepulcro acquiri potest, etiam post religionem sepulcricam. Quid ergo? Responder quidem Pacius, quod hæc servitus non efficiatur, ejusdem juris, cujus & locus ipse religiosus: at non placet hæc responsio, quia non queritur, cujus juris fiat servitus; sed quis eam acquirat & quo Jure

Magis placet Hilliger *ad Donell. l. 11. C. 9.* dicens, quod in lege obstante iter juris privati maneat. Ergo in re privata, per *L. 23. §. 2. ff. de S. P. R.* intelligitur enim in extremo sepulcri tantum relinqui privato, quanto ad accessum & itineris acquisitionem opus, idque propter utilitatem loci religiosi. Objicitur ulterius *l. 23. §. ult. de S. P. R.* ubi futuro quoque edificio, quod nondum est, vel imponi vel acquiri servitus potest. Respondet Donell. *c. l. area* extanti acquiri vel imponi, cujus est dominus. Si e. g. edificaturus promittat vicino jus tigni immittendi in eas aedes, aut sibi stipuletur jus immittendi in aedes vicini. Tunc enim quaesitam vel impositam area, manere ad edificium postea extractum, quia illud soli conditionem sequitur. *L. 7. §. 10. de acquir. dom.* Sed haec responsio non aridet Hilligero ad *d. l. 23. §. 1.* ut & in *l. 10. de S. P. R.* dicitur, ipsi edificio acquiri vel constitui servitutum. Quid? quod area edificio vacua non est praedium urbanum, nec servitutum urbanam ei quaeri possit. At vero commode respondet Vultej. *ad §. 3. f. de servit. n. 5.* distinguendo inter servitutum ipsam, & inter servitutis illius exercitium, ut dicamus servitutum ipsam etiam constitui posse, si vel maxime praedium nondum existat, ad hoc nimirum, ut, si extitutum est, ipsum serviat, sed exercitium servitutis nullum sit, nisi praedium ipsum in rerum natura existat. Sic iter fundo meo constitui potest per fundum tuum, qui nondum existit, sed iter illud exercere, id est, ire non possum, nisi praedium tuum in rerum natura existat, per quod ire possum. Servitus ipsa jus denotat, exercitium servitutis denotat factum: facti nulla est fictio, Juris fictio esse potest. Ratio

tione juris igitur fingi potest, fundum, qui nondum est, est tamen exiturus, jam esse, ita ut spes fundum nondum existentem quasi repræsentet. *Vultej. c. l. Omnia hæc brevibus includit Brunnem. ad l. 22. 23. ff. d. S. P. U. n. 6.* scilicet servitutem imponi ædificio in spe, sed areæ in re.

XIX.

solitarium Non sufficit autem habere dominium, sed requiritur insuper, ut acquirens servitutem solitarium habeat dominium, & sic ille, qui pro parte dominus est, fundo communi servitutem imponere haud potest. Ergo si socius fundo communi servitutem acquirere velit, non tantum acquisitio ipso jure nulla est, *l. 5. ff. commun. præd.* sed & ipsa stipulatio *l. 19. ff. de serv. præd. rust.* Totius namque fundi non est dominus, & sic pro parte indivisa acquireret servitutem, quod est contra naturam servitutum realium *l. 6. §. 1. ff. commun. præd.* quin, verò omnes semitam recte acquirant, dubium non est *l. 6. §. 2. comm. præd.* Domini autem verbo intelligimus etiam quasi dominum, cujus jus dominio finitimum, ut est emphyteuta, superficiarius, ex tuitione tamen prætoris *l. 1. §. ult. de superfic.* Si tamen duorum prædiorum dominus quis sit, alterum alteri, ut servitutem semitæ debeat, efficere non potest. *l. 10. ff. comm. præd.* Idem vero unius traditioni eam legem dicere potest, ut vel retentum semitam debeat alteri vel traditum *l. 6. pr. & §. 1. vers. plane & §. ult. ff. comm. præd. l. 32. & seq. ff. de S. P. R.* quia licet dominus utriusque tempore constitutionis sit, qui acquirat, tamen in id tempus confertur acquisitio, quo alterius res futura est. Cumque consensu novi domini

mini id fiat, is ipse acquirere vel imponere videtur. Qui
verò duo prædia duobus tradit simul, non potest efficere
alterum alteri servum, ne imponat vel acquirat rei alic-
næ. l. 8. *comm. præd. Donell. l. 11. cap. 9.*

XX.

Quod si quærat, an dominus tantum per se, an ^{Idque vel}
etiam per servos vel procuratores acquirere possit servi- ^{per se vel}
tutem semitæ? In affirmativam ego irem sententiam, l. 12. ^{per alium.}
ff. de servit. inductus ita atque arg. l. 2. ff. de acquir. vel am.
poss. quæ etiam municipia & aliæ civitates per syndicum vel
servum communem servitutes acquirunt. Quo autem
magis de procuratore controvertitur; eo verior mihi
videtur affirmatio. Certum enim est, quod per procu-
ratorem domino acquiratur possessio & per illam quasi
dominium. l. 20. ff. de acquir. vel am. poss. l. 11. §. 6. ff.
de pignor. act. Quæcunque nunc nobis acquiruntur per
possessionem, nobis etiam per procuratores, mediante
possessione, acquiruntur. Servitus autem etiam me-
diante quasi possessione acquiritur, ita, ut si per procu-
ratorem possessio, ipsa etiam servitus acquiri possit.

XXI.

Dominorum ergo, à quibus semita & constituitur, ^{Cujus ad-}
& acquiritur, voluntas necessaria reputatur, sive expressa ^{sic volun-}
illa sit, sive etiam tacita. Hæc colligitur ex lapsu tem- ^{tas tacita.}
poris ad præscriptionem necessariæ, quod sunt 10. anni
inter præsentis, & viginti inter absentes, quod omni du-
bio carere videtur propter l. ult. in fin. C. de præscript.
long. temp. l. 28. ff. de V. S. An vero omnes servitutes
sic præscribantur quæritur? Hic distinguunt inter servi-

tutes continuas, quas usu acquiri volunt, quales dicunt esse urbanas, item aquæductus, de quo in *l. 10. pr. § l. 2. C. de servit. & inter discontinuas, quas non item v. g. iter. Sed hunc errorem esse docet cum aliis Busius ad d. l. 14. ff. de servit. n. 9. Nam & distinctionem ipsam erroneam esse statuit Donell. *Lib. 11. Cap. 11.* quia omnis servitutis continua est possessio, etiam tum, cum usus intermittitur, animo retenta. Scilicet putat servitutem neque ratione juris esse discontinuam, neque ratione possessionis, quæ acquisita solo animo retineri potest. Illustrat id ipse variis in medium prolatis casibus. Primus est usufructus, eum tamen non magis quis perpetuo frui, quam continenter ire possit. Secundus aquæductum concernit, qui ita interrumpi poscit *l. 7. C. 16. quemad. mod. serv. amit. l. 1. §. 2. de acqu. quotid.* Tertius in itinere consistit, quod, ut est in *l. 14. ff. de servit.* tali acquiritur ratione, quia interdictum de itinere datur ei, qui longæ possessionis prærogativam habet: *l. 5. §. pen. d. itin. act. priv.* at non datur alii, quam cui jus servitutis quaesitum. *l. 3. §. 13. eod.* Equidem Bach. ad *Treit. vol. 1. disp. 17. tit. 8. lit. A.* illos non probat, qui *d. l. 14.* non de possessione sed de ejus exercitio accipiunt, quasi ipsa possessio rerum incorporalium sit in usu, & quod aliàs non concluderet ratio JCr, siquidem continua possessio adstrui posset. Verùm enim verò, quia ipse *Bachovius c. 1.* absurdum non esse censet, eum qui actibus aliquot quasi possessionem servitutis adeptus est, eam animo retinere; cum jus & facultatem eam in actum & usum deducendi semper habeat. Hinc merito errorem cum Donell. & Busio agnosco & repudio. Interim contrariam & antea rejectam erroneam sententiam,*

tiam, quod scilicet in discontinuis longum tempus immemoriale, in foro esse communem & in camera Imperiali quoque receptam, testantur *Mynsing. Cent. 4. Obs. 53. Gail. Lib. 2. Obs. 66. Lauterb. Concluf. Forens. Exercit. 18. Tb. 2.* Cumque servitutes urbanas putent continuas, egoque supra tradiderim, semitam modo urbanam, modo rusticam servitutem esse, prout prædium dominans vel urbanum vel rusticum est; hinc deducunt Dd. insignem effectum in foro scilicet, ut jus itineris ad ædes meas per fundum alienum decennio, ad prædium meum rusticum vero, non nisi immemoriali tempore acquiratur, *B. Strykius in us. mod. ad ff. tit. de serv. rupt. præd. §. 2.* Ceterum jure Saxonico omnes servitutes indistinctè 30. annorum, sex septimanarum & trium dierum spatio præscribuntur, *Carpz. p. 2. Const. 4. def. 8.*

XXII.

Voluntas expressa constituentis vel acquirentis servitutem tam in genere, quam inspecie quoad Semitam, declaratur vel in ultima voluntate, *tot. Tit. de servit. leg. luntate,* vel inter vivos. Illo casu constituitur statim, ipso jure sine traditione vera vel quasi. Statim enim post mortem legatario actio confessoria competit, *l. ult. ff. de servit. leg. l. 19. §. I. ff. Quemadm. serv. amitt. junct. l. 82. ff. de leg. 2. §. l. 64. in ff. de furt.* Inter vivos pactis & stipulationibus promittitur, & quidem non nudis pactionibus; sed quæ traditionibus & contractibus in continenti adjiciuntur, vel alias ad agendum efficaces sunt, id quod stipulationis adjectio satis evincit. Verùm hiscè modis non aliter acquisitio fit, quam si traditio accedit, quæ fit per usum & patientiam, vel determinat

tionem loci per quem v. g. eundem. Equidem Bachovius ad §. ult. *J. de servit.* putat, quod, si promiserit tibi licere ire, agere per fundum meum, nil quicquam tradi possit, & proinde arbitratur per ipsam solam promissionem censi servitutem constitutam, & si contra placita faciat promissor, nulla opus esse actione personali, sed recta competere vindicationem per *l. 4. ff. de servit.* Sed pace tanti Viri, cujus ceterum merita mirari non deero, dum ero, dixerim, id ex hac ipsa lege probari non posse, cum supponatur, servitutem esse acquisitam. Etenim si acquirens contra pacta quasi traditioni, vel etiam antea adjecta vindicet servitutem, merito repellitur exceptione, licet patiens ipso jure non fuerit tutus. Sunt tamen, qui hodie nihil referre putant sive ipso jure, sive ope exceptionis servitutem extingui dicas, ut adeo frustra omnino discrimen illud adhuc inculcent interpretes. *vid. Dn. Titius L. 3. Jur. priv. Rom. Germ. cap. 13. §. ult.*

XXIII.

Finis constituendi semitam est, ut aliquam utilitatem ex re vicini percipiamus. *v. l. 19. de servit.* Hæc autem utilitas summatim vel in eo consistit, ut id, quod nobis molestum est, in aliud prædium avertamus, vel ut id, quod utile & acceptum videtur inde consequamur. Sic in supra relato casu ex *Electis Juris publici Tom. 2. p. 247.* concedebatur *der Durchgang zur Weibung der Tauffe.* Sæpe enim in nostro vel angustia loci non patitur semitam, vel cum magno ædium vel fundi incommodo & detrimento ducitur semita, quæ minori incommodo afficit vicinum.

XXIX. Ne-

Forma.

Ne autem nimium pradium vicinum prægravetur, certa forma vel à lege & quod ei æquipollet, vel ab ipsis contrahentibus est imposita. Ab hisce locus. plerumque demonstratur & latitudo. Nam licet viæ latitudo in legibus reperitur determinata: itineris tamen atque semitæ latitudo jure communi certa & determinata non est, sed prout in conventionem demonstrata vel ab arbitrio definita est, ita servatur *l. certo generi 13. §. latitudo 2. ff. d. S. P. R.* Arbitri autem hi compromissarii vocantur, quibus incumbit 1) loci ocularis inspectio 2) peritorum in arte adhibitio 3) accurata locorum circumscriptio & consideratio 4) arbitrii editio, quæ sit apud acta, cum rationum, quæ moverunt, relatione, quæ tamen non habet vim judicati, nisi à Judice per Sententiam sit approbata, licet pars, quæ per arbitrium se gravatam sensit, emendationem petere possit, *Mey. p. 3. dec. 372. Braunem. ad d. l. 13.* quia ex judicio seu peritorum seu commissariorum, nihil transit in rem judicatam. *Mynsing. Observ. 36. cent. 6.* quam tamen emendationis querelam in commissionis decreto reservare opus habet. *Mey. c. l.* Merito ergo de latitudine aliqua determinanda agendum, ubi mensuram viæ pro fundamento arbitrii pono. Viæ autem latitudo in porrectum octo pedes habet, in anfractum sedecim. *l. 8. ff. de S. P. R.* aut tot certe, quot possit vehiculum ire, alioqui iter foret, non viæ, *l. 23. d. 1.* (ubi Hotoman. addit: iter, aut actus, quia negat, quod actui cohæreat facultas agendi vehiculum vid. *Bachov. ad Tr. Vol. 1. D. 17. Ib. 4.*) Josephus Scaliger in appendicibus ad Varronem mordet hanc legem, quia quod est in porrectum octo, id sit in an-

fra-

fractum viginti quatuor & septima una, siquidem ambitus tres dimerentes complectitur & septimam unam. Sed respondet *Alb. Gentilis ad l. 157. de V. S.* quod alius sit verborum sensus: dicit enim lex, quod via latitudo octo pedum esse debeat, ubi recta iter, at ubi stertitur, sedecim sit, idque propter circumfactionem plaustrorum, quæ majorem latitudinem exigit, non tamen tantam, quantam regula geometrica postulat. Quicquid autem horum sit, spatium illud, ut ad iter & semitam revertar, dividunt in quatuor partes, ita, ut una pars sive duo pedes sint iter, due partes sive quatuor pedes actus, & quatuor partes sive octo pedes via, *Alexand. ab Alex Lib. 2. Genial. dier. c. 20.* Jam si ex superiori loco tradita etymologia supponis, semitam esse dimidium itineris, tunc semita continebit unum pedem, quod vix asserendum. Sed videtur salva res esse. Nam in illa etymologia non intelligitur iter, quatenus est servitus in privatorum prædiis, sed prout pro via publica usurpatur. Hinc est titulus de locis & itineribus publicis, item de via publica & itinere publico resciendo. Atque hoc modo iter est latior via, semita angustior, & ut ajunt, est via semiter: iter est latior semita, semita vero itinere angustior. Igitur *ex l. 23. pr. ff. de Serv. præd. rupt.* rectè dici potest, quod si via latitudo ita constituatur, ne vehiculum ire possit, non sit via, sed semita, aut si mavis, iter, prout est servitus, ita tamen ut sub hac servitutis consideratione, & prout ad iter duos pedes sufficere putant, semita latior pleramque sit itinere, possetque Germanice vocari *ein Gäßgen, dadurch man aber nicht fährt.*

XXV.

Porro tam per pacta, quam per rerum conditionem ^{qua per} constitutioni inest hoc, ut moderate & sub certo modo ^{pacta li-} ceatur. Sic in supra allegata decisione Lynkeriana 632. ^{mitatur.} concedebatur, *der Weg, vvenn der Acker umbesamet.* Item conveniri potest, ut singulis annis una tantum die liceat transire per tuum agrum, *Brunnem. ad l. ult. C. de servit.* Item ut quis eat non noctu, sed interdiu. Item ut certo anni tempore prohibeatur actus per fundum, *l. 14. ff. si servit. vind. ibique Brunnem.* Item ut tantum pedes eat, nec ipso jure aliter uti liceat, & si alio modo usus quis sit, non utendo amittat. *l. 10. §. seq. Quemad. serv. amitt.* Quando verò intervalla temporum admitto, non statuo, quod tempus constitutioni inchoandæ vel finiendæ servituti adjiciatur, sed pura est ac perpetua constitutio, ac tantum intermedium tempus utendi temperatur. Usus itaque servitutum licet individuus sit, *l. 17. d. servit.* id est, dividi nequeat in partes discretas: secerni tamen potest temporibus. Tempora enim utendi dividuntur, usus ipse v. g. itiones singulæ in sese sunt indivisæ, *Donell. L. 11. C. 10.*

XXVI.

Ut autem moderate quis utatur semita, non debet *Et ad cer-* per omnes fundi partes ire. Licet enim servitus, *tum locum* quam qualitas, omnes fundi partes afficiat, & ut Docto. *restringi-* res ajunt, sit tota in toto fundo, & tota in qualibet par- *tur*

E

te

te fundi: hæc tamen assertio non excludit humanitatem, quæ suadet, ne cum damno servientis prædii eamus, Hinc eligenda est pars fundi, per quam eatur, & sic coarctanda est servitus. Sed quaritur, quis eligere debeat? Respondetur, si per contractum promissa & constituta est servitus, electio est ejus, cui concessa est servitus, *l. 9. ff. de servit.* ubi hoc rivi exemplo explicatur, quem primò qualibet ducere licuisset; postea autem quam ductus esset, transferre non liceret. Si forte semita legatur, electio debet esse heredis, *l. 26. ff. d. S. P. R.* ut tamen non sit captiosa legatario, *confer. Donell. Lib. 11. c. 13. Lit. A. & B. & quos ibi refert Hilliger.* Sed qui sit, quod hic sit electio heredis, cum tamen alias in legatis electio sit legatarii? Ratio potest esse, quia testator minimum gravasse heredem censetur, & quia electio fieri debet minore servientis fundi detrimento. *Hillig. ad Donell. Lib. 11. c. 13. Lit. B. licet aliter Donell, c. 1.* Hinc porro fluit, quod, licet dominus prædii, dominantis variare non possit; bene tamen dominus prædii servientis, si scilicet cum hujus commodo, & sine illius incommodo fiat.

XXVII.

Effectus in
statu vel
pacato,
ubi cum a-
liis quis
potest ire,

Effectus semitæ constitutæ & acquisitæ considera-
tur tam in statu pacato, quam litigioso. Ibi potest quis
ire, non tantum modis antea prædictis, sed etiam cum
aliis, si comitatus spectet ad utilitatem prædii dominan-
tis. *Gloss. ad l. 1. ff. de serv. præd. rursi. & in pr. Inst. cod. Jason contra,* quem & Corasius sequi videtur. Sed
Acursii sententia, ut rationi convenit, ita moribus, recepta

pta est. Atque ejus ex jure ipso fortissimum argumentum est, quod iter habens, lectica quoque veli potest. *l. qui sella 7. ff. d. 2.* Ea enim necessarid gestatur à pluribus. Nec ad rem facit. *L. si ita 126. §. Chrysogonus. ff. d. V. O.* quam Jason in sui defensionem allegat, quia ea procedit in obligationibus. Ea enim cum uno inita non facilè ad tertium producentur. Interim si comitatus vel in fraudem servitutis constituta vel in alium finem, non permissum habeatur, merito serviens conqueritur. Id quod accidit apud Augustanos, qui ad Imperatorem Josephum ita conqueruntur: *in deme 9) der Herr Pralat und dessen convent, den ihm, nach Inhalt des hiesigen Friedens-Executionis-Recesses limitate concedirten Durchgang und Procession in die S. Jacobs-Capelle zu Weybung der Tauffe (so am Abend vor Ostern und Pfingsten zugeschehen pflegt) contra dispositionem besagten Recessus, vwie auch eines höchstpreißlichen Reichs-Hoff-Raths concluso von 26. Febr. anno 1686. sub Lit. C. beyliegend zurvieder, zu andern actibus ecclesiasticis atque profanis mißbraucht, und der Ulricanische Zech-Pfeger anzeige, vwie auch denen sub lit. I. specificirten turbationibus nach, so vwohl unter vväbrenden disseitigen Gottesdienste, als auffer solcher Zeit, so offt es beliebet, sie nicht allein dieses Durchgangs mit Kindes-Tauffen, sondern auch des hin und wiedergebens in besagter unserer Kirche, vWenn man solche gesperrt zuhaben vermeinet, mit hiesigen und fremden Geist- und Weltlichen Manns- und Weibs-Personen bediene, vwie man denn auch an den S. Jacobs Tage mit Gefang Processions-Weise durch das Predigs-Hauß mit so vielen Volcke gebe,*

als ihre Capelle nicht fassen könne, und dabero unsern Kirch-Boden mit Niederknieen occupire, und die Unserigen, wolte man anders mit Ruhe den Gottesdienst endigen, abzukürzen obligire. vid. Elect. Jur. Publ. Tom. 2. p. 252. § 253.

XXVIII.

*ad alias a-
des vero
non exten-
ditur.*

Quod si janua duorum communis sit, per quam ad ædes suas alicui patet aditus, quæritur, an ea uti ob domum vicinam postea emtam quis possit? vid. Cravett. conf. 676. Rectius negatur, per l. ex meo 24. ff. de S. P. R. quia & fraus servituti constituta fieret & non utilitas prædii dominantis intenderetur. Ceterum dominus prædii servientis prohibendus non est, quo minus parietem fornicatum super semita alteri concessa struat. vid. in simili Thesaurus 2. q. 89. Nihil namque, nisi transitus permittitur, adeoque quoad reliquum domino omnes particulae domini intactæ & salvæ remanent. Huc respexerunt Augustani, quando sapius citato loco pag. 241. Cæsari hæc insinuant: dann ist denen Prälaten und denen Catholischen Religions-Verwandten bey dem Predig-Hause einig und allcine der Durchgang und die Procession in die St. Jacobs Capelle zu Weihung der Tauffe, gleichwie es geschehen, serviret worden, so ergiebt sich von selbst, daß 1) dieselbe bey besagten Predig-Hause, weder inner- noch außerhalb einen weiteren actum religionis zu exerciren, oder eine weitere compossession, Co-usum, vel Co-exercitium religionis haben, oder mit Recht pretendiren können.

XXIX.

Sicuti in vulgus notum est, quod, si finis alicui est concessus, etiam omnia ad finem ducentia permilla sint: ^{Necessaria} ita idem quoad semitam non minus usu venit. ^{tamen ad} Hinc, quã, ^{semitam} nisi opere facto, iri non potest, licitum est fodendo, sub- ^{permilla.}struendo, iter facere. Etenim *L. 10. ff. de serv. & in l. 20. §. 1. d. S. P. U.* dicitur: Si domo mea altior area tua esset, tuque mihi per aream in domum meam ire, agere concessisses, nec ex plano aditus ad domum meam per aream tuam pateret; vel gradus, vel clivos propius januam meam jure facere possum, dum, ne quid ultra, quam quod necesse est, itineris causa demoliar, minore tamen, quoad id fieri potest servientis detrimento. *Franzk. ad tit. comm. præd. n. 41. Mey. p. 3. dec. 35.* Sic & ea concessa intelliguntur, quæ ad commodiorem usum faciunt domino prædii dominantis. *Donell. Lib. 11. cap. 14. Petrus Gregor. Lib. 4. synt. c. 14. n. 8. Capolla d. S. U. P. c. 23. n. 9.* Meliorem autem fundi dominantis aut servientis usum ut faciam, non similis obligatio existit, sed ita demum fundus serviens ei obnoxius fit, quatenus sine novo incommodo vel onere servientis fundi fieri potest, & hoc magis ex lege charitatis, quam jure servitutis. *Mey. c. 1.*

XXX.

Quid ergo, si familia ejus, cui, & ejus familie ^{ad fami-} semita concessa, augeatur, an etiam servitus seu jus pas- ^{liam au-} sifivum augeatur? Equidem pro affirmativa militat 1.) ^{Etiam ta-} ^{men non} ^{est} ^{quia perimes}

c. quia circa d. privil. ubi privilegium concessum super Episcopalis decimis retinendis, extenditur ad possessiones postea acquisitas. 2) l. 2. in pr. Quod legat. l. fin. pr. d. Lib. leg. L. si servitus pr. d. S. U. P. ubi dicitur: servitus imposita luminibus intelligitur de presentibus & futuris 3) l. hoc jure, S. aqua ff. de aqu. quot. & ff. & 4) facit, quod ajunt, privilegium Ecclesiis concessum, extendi ad ecclesias post concessionem privilegii constructas 5) argumentum sumunt ex vi dictionis familiaris, quae dictio universalis augmentum & diminutionem capit. Sed quicquid horum sit, negativa sententia est verior & communior, per l. non modus, ibique Gloss. & DD. C. de servit. & agv. quippe qua legimus: si post servitute constitutam augmentur praedia, quod servitus non augeatur. Idem probat Lex Julianus in f. cum l. seq. de leg. 3. cujus argumentum in eo consistit, ut legato fundo cum instrumentis nequicquam veniant instrumenta post tempus testamenti reperta. Simile est de eo, qui singulis annis tenetur gratis molere frumentum alterius, pro se & familia sua, quod scilicet is auctae familiae gratis molere non teneatur. Boerius dec. 213. n. 9. & 11. Capoll. de S. P. U. c. 50. n. 18. seqq. Sed & rationes, quae supra adversariae nobis comparebant, perlustremus. Primam 1) adductus ipse textus, si evolvitur, sede movet sua, dum prolixissime ait, in beneficialibus nimirum interpretationem fieri latam. Adeo materia illa favorabilis in consequentiam non est trahenda. Ad 2. 3. respondeo, quod textus non loquantur de augmento extrinsecus adjecto, sed naturali & quidem latente, quod regulariter omni rei & dispositioni inesse solet. Aqua enim natura ex rivulo currens naturali

ratio

ratione crescit. Sic patet alimenta pupillo debita per se incrementa sumere, quando puer crescit. In *leg. fin. d. lib. leg.* expresse ita erat dispositum, & *lex, si servitus d. S. P. U.* non loquitur de augmento, cum de luminibus prateritis disponat, alique dicant, illum textum in æquitate esse fundatum. Ut ad 4. limitaverim, in beneficialibus hoc singulari jure constitutum esse: ita ad 5. rehero, hoc argumentum esse contra verba & mentem textus *c. quanto, de Cens.* quem in hunc finem citant. Nam loquitur ille de collegio & familia fratrum, & tamen disponit pensionem fratribus auctis non deberi. Limitatur tamen negativa sententia prædicta, si de contraria disponentium mente appareat. *Cepoll. d. tr. § loco, n. 21. vers. secundo casu.* Deinde declaratur mea sententia, maxime de familia illa, quæ non simul habitat, puta, quando fratres bona diviserunt & quilibet seorsim habitat. Tunc enim absque omni dubio servitus familiæ auctæ divisæ non augetur; *Cepoll. c. 1. Vers. & hoc intellige.*

XXXI.

In statu litigioso inter alia remedia datur actio confessoria, qua servitus defenditur. Inde si v. g. mihi iter debet & ædificas in loco itineris, possum experiri actione confessoria, tibi non esse jus ædificandi. Et licet in servitute personali, v. g. usufructu idem sit; hoc tamen discrimen datur, quod ob servitutem realem agens impetret restitutionem ejus, quod contra servitutem extructum est. Sed si contra usufructum quid ædificaverit alter, quia factus rei mutata est, amissus est usufructus, & agi non potest actione confessoria ad destruendum, sed actione de dolo

l. 9. ff. si serv. vind. Hinc colligitur naturam actionis confessoria in realibus servitutibus hanc esse, ut per eam destruat, quicquid est factum contra debitam servitutem. Unde resultat quaestio, an novi operis nunciatio locum habeat? Et quamvis multi sunt, qui affirmant hoc, & sibi obstantem fingant *l. 14. ff. d. novi op. nunc.* ubi dicitur: qui viam habet, si novum opus nunciaverit adversus eum, qui in via aedificat, nihil agit, sed servitutem vindicare non prohibetur, & hinc inter alias resolutiones etiam hanc afferant, quod dicta *l. 14.* loquatur de casu, quo quis in loco suo, per quem iter nobis asserimus, aedificat, & quod tunc prius nobis actione confessoria agendum sit, *l. 9. ff. si serv. vind.* mihi tamen magis placet opinio Colleg. Jur. Arg. *T. de novi op. nunc. n. 12.* ubi pronunciat non recte novum opus nunciare, qui habet quamcunque servitutem praediorum. Neque Gloss. *ad auct. l. 14.* nunciationem admittit, & hinc etiam Jason. *ad l. 1. §. ult. de nov. op. nunc.* intelligit *l. 14.* antea dictam prout verba jacent. Perfecto qui tam verba legis, quam alias circumstantias considerat, non potest non in hanc opinionem transire. Nam licet in loco ad semitam, iter, actum, vel viam destinato aliquid aedificatum sit: quia tamen iter alio facile flecti potest, & interim confessoria actione agi ad destruendum, & durum & superfluum esset decretum, quod aedificationem vel inebet vel destructionem mandat. Secus res se habet in aliis servitutibus, quarum usus flecti & aliud dirigi non potest. Accedit, quod jam antea sit evictum, domino praedii servientis competere jus variandi semitam, atque de loco ad locum transferendi, modo ejus promoveatur utilitas, nec oritur

tur magnum incommodum prædii dominantis. Quo po-
 sito iniquum esset illud tollere, quod tamen rursus ponere
 fas est, & hoc est, quod in *l. 9. ff. de servit. comprehenditur*,
 nimirum quædam in sermone tacite excipi, nec per me-
 diam villam alterum ire, agere quis teneatur pati, & con-
 sequenter alterum frustra de ædificio in loco semitæ stru-
 cto queri, posito, quod adhuc ire possit. Exinde etiam, si
 serviens probat, iter sine magno incommodo dominantis,
 ad servientis utilitatem commodius institui posse, ad id
 dominantem cogendum esse vult *Mev. p. 3. D. 371. n. 7.* &
 quidem illius sumtibus, cui servitus debetur. *Brunnem. ad*
l. 11. ff. com. præd. n. 4. vid. Stryk. in notis ad Lauterbach. T.
de servit. voce. moderate tamen. An igitur hæc mea explica-
 tio etiam veniat in censum illorum Doctorum, qui judi-
 cante Cujacio *L. 1. Obs. c. 17.* nil nisi petitionem principii
 committunt, aliis arbitrandum relinquo.

XXXII.

Alia remedia suggeruntur in *Tit. ff. de itin. actus priv.* alia reme-
dia remis-
sive.
 ubi conferri possunt, quæ Müllerus ad *Struv.* congesit.

XXXIII.

Tanto igitur securior, ne metas disputationi vulgo *affinia*
 positas transgrediar, hic pedem figerem, nisi affinia semitæ
 colophonis loco ponenda restarent. Atque ad ea illas qui-
 dem refero semitas, quæ servitutis jure non debentur. Nam
 licet regulariter per agrum aut alienum locum, qui servi-
 tutem non debet, ire nemini permittatur: *l. 16. de servit.*
præd. rust. certi tamen casus, uti jam supra dictum, ab
 ista regula excipiuntur, quorum primus est, si quis iret
 per alienum fundum, effodiendi ritè thesauri mei
 gratia, *l. thesaurus 15. ff. ad exhib.* Altero servum fugitivum
 legitime exquirere & investigare licet. *l. 1. §. 1. & l. Divus. 3.*
ff. de

ff. de serv. fugit. Tertius est in fructibus, qui ex arbore mea in fundum vicini cadunt, quorum intra triduum colligendorum gratia, per fundum alienum ire mihi licet, *l. un. ff. de glande leg.* Quartus est, quando via publica est destructa, tunc quidem per fundum alienum ire permittitur, sed perfoluto pretio domino. *l. si locus 14. §. fin. ubi Accursius ff. quemadmod. serv. amitt. l. 2. ibique Baldus C. quibus ex causis serv. pro prem. libert. &c.* Quintus casus consistit in eo, qui emit pendentem vindemiam, quam ut colligat, ire per fundum venditoris adeoque alienum potest. *l. qui pendentem 25. ff. de act. emi.* Sextus, isque ut opinor ultimus, in eo offenditur casus, ut si quis iter ad sepulcrum non habet, quandoquidem justo pretio oblato vicino, per ejus fundum ire possit. *l. si quis sepulchrum 11. pr. ff. de relig. & sumat. fin. de quo tamen jam supra quædam retuli & istis in hæreo.* Cæterum cum de his, & si qui sunt, alii casibus præter reliquos JCTos Capolla *de serv. rust. præd. c. 1. n. 22. & seqq.* satis copiose differuerit, nihil amplius addo, quam illam clausulam:

SOLI DEO GLORIA.

B. L. post verbum tempus p. 29. lin. 1. a ddat: non sufficiat, sed requiritur tempus &c. Cetera si que sunt errata, v. g. si p. 8. lin. 19. 9. pro g. p. 13. lin. 15. item pro idem & in allegatis Legg. atque ex Wissenbachio & Donello sapius rupt pro rust. acqu. pro aqu. Offerman. pro Offerman. II. pro II. p. 28. l. 15. quemad. mod. &c. pro quemad. serv. legitur, pro sua eruditione & candore extinguat & corrigat ipse rogo.

NOBILISSIME AC CONSULTISSIME
DOMINE DOCTORANDE,
REGIMINIS DUCALIS ALTENBUR-
GENSIS ADVOCATE MERITISSIME,
AMICE HONORATISSIME.

Bene & sapienter facis, qui jam in pro-
cinctu es cathedram conscendere, tuam vide-
licet eandemque inauguralem de Jure se-
mitarum disputationem defensurus. Ne-
que est, quod de optimo successu dubitem, cum
jam ante octennium in Examine pro Candidatura nostra
Facultati, mibi que autem semper in lectionibus pariter ac
disputationibus meis tuam diligentiam, tuam dexterita-
tem, tuamque Juris notitiam satis superque proba-
veris. Equidem me non fugit, quod dicunt, plerosque
post academie annos advocacionibus totos se consecrantes
cogi immane quantum! à nostris remittere studiis:
at vero ex nuperis tuis, que publicè in Opponentium nu-
mero proferebas, dubiis, & ex ipsa oblata mibi disputa-
tione Inaugurali latabundus perspexi, nec quicquam de
prompti-

promptitudine tua in Latino sermone veteri inter tot
per annos concatenatas causarum actiones detractum,
nec deminutam, quin imo egregie auctam in Te com-
parere eruditionem. Adeo namque ipsam elaborasti disserta-
tionem, ut ne placere mihi haut potuerit, & rationibus
legum & autoritate instructissima. Vnum id tantummodo
desidero, quod zametsi differentiam semitam inter atque
viam suum omnino locum habeat, illa tuis tamen non
conueniat negotiis. Scilicet quod via honoris est, pro se-
mita, & id pro via quoque accipitur, quod semita est di-
gnitatis. Vides ergo, in quo erraveris & pro singulari
erga Te benevolentia roveo, ut sic perpetuo erres. Ita
enim fiet, ut, dum semita honoris contentus vivas, viam
glorix ingrediaris amplissimam. Ceterum salve & va-
le cum Amplissimo Tuo Parente, cui de honoribus tuis ani-
mitus gratulor, sisque Divinae bonitati commendatus. Da-
bam Fene d. 16. Junii MDCCXII.

PRÆSES.

Celsa petunt aquila sublimis nubila coe-
li:

Sic, quicquid summum, mens gene-
rosa petit.

Hac tua laus, Heinigki, qui tali indole pol-
les,

Quarere que semper non nisi summa so-
let.

Hinc virtusque Themisque Tibi nunc pandit
honores,

Quos animi dotes promeruerunt tuae.

Macte tua virtute, istos Tibi grator hono-
res,

Cresce bonis, cunctis, vive vigeque
diu.

Hac gratulandi causa apponebat
Opponens

BERNHARD. ADOLPH. FRIESE

J. U. Doctor.

Semita virtutis quam sit Tibi, sicque fre-
quenter

Calcata, ad laudes tendit ubique Tuas.

F 3

Has

Has auget magnum decus hoc quoque nomine
partum,

Quod voce, quod scriptis fura viaque pro-
bas.

Gratulor inde Tibi, Fautor, simul atque per-
acto

Hocce labore precor commoda quaeque
Tibi!

Ἄντοχέδιασμα

Consultissimo Dn. Doctorando
gratulabundus adijcere de-
buit Opponens

IOHANNES STRINZ, Argentorat.
J. U. Licentiatus.

Coepit perge Tui faelici Principis aurâ
confissus gemino clare munimine vo-
cis

Eximii Doctoris, causarumque Patroni,
Cujus, collustrat praecleara scientia mun-
dum

(Lex

(Lex loquitur) patrium, Legum prudentia vi-
tam
informat subjectorum parere Deoque,
Præpositisque suis, patriam vitamque tuetur,
servat fortunas. Hinc tanto dignus amo-
re,
quantum promittit FRIDERICVS Lege pe-
riritis.

Quæ dico, specimen nuper monstravit aperte
pro rostris habitum, cunctorum laude probatum.
Ergo meo voto pergas ad culmen honorum.

Ita vovet Consultissimo Dn. Iohanni
Christophoro Heinigkio Altenbur-
genſi Miſnico ꝑ. U. Doctorando,
Illuſtris Regiminis Saxo-Altenbur-
gici Advocato longe digniſſimo, Fau-
tori ſuo colendiſſimo Opponenſ

IOHANNES HARTMANN
J. U. Doctorandus.

HActenus ardenti rostris Tibi grata voluptas
Ausu, jucundis invigilasse, fuit.
E cathedrâ doctâ nunc documenta dedisse,
Ingenii culti comprobat ille labor.

Gratu-

*Gratulor, exornent jam debita pilea frontem,
Quis poteris studii premia ferre Tui.*

*Viro Consultiſſimo, Dominus
Doctore Johanni Chri-
ſtophoro Heinigkio, Fautori &
Patrino ſuo nunquam non
colendo, pauca hæc, quevis
ipſi bona animitus adprecans
ſcripſit Opponns*

**NIC. WILH. DRESSLIUS Hilperhuſa Fr.
J. U. CANDIDATUS.**



Jena, Diss., 1711 (AIR)

ULB Halle

3

004 171 470



56







1711, 8

37
11

CUM DEO
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE
JURE SEMITARUM

QVAM
DIVINO FAVENTE NUMINE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GUILLIELMO HENRICO
DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM
ANGARIÆ, WESTPHALIÆQUE ET RELIQUA,
Ex Decreto & Auctoritate Illustris Facultatis Juridicæ
IN ALMA SALANA

PRÆSIDE
DN. IOHANNE BERNHARDO Griesen
HÆREDITARIO in Pöfen/

Jcto Famigeratissimo, Serenissimi Ducis Saxo-Isenacensis Consiliario
Aulico, ac Consistoriali, Antecessore, nec non Collegii Juridici
& Scabinatus Assessore Gravissimo,

Domino Patrono suo ætatem devenerando,
Pro summis in utroque Jure honoribus ac privilegiis Doctoralibus
rite consequendis

Publicæ Eruditorum disquisitioni subiiciet
JOHANNES CHRISTOPHORVS HEINIGKIVS

Altenburg, Misnicus,
Illustris Regiminis Saxo-Altenburgici Advocatus
ad D. XVII. Junii 1711.

IN AUDITORIO JCTORVM
horis ante- & pomeridianis.

JENÆ, Literis WERTHERIANIS.